Quod ~~lata~~ ita[a] sit, testis est Anciranus canon dicens, presbiteros immolantes et iterum luctamen adeuntes, si hoc non[b] per illusionem aliquam, sed ex veritate fecerunt, nec ante parentes, nec affectantes atque suadentes ut existimentur quidem tormentis aptari, sed his visu tantum et habitu subici: hos placuit honorem quidem retinere propriae sedis, offerre vero aut alloqui populum aut omnino sacerdotalibus fungi officiis non licere. Item[x] ex concilio Niceno de his, qui in persecutionibus negaverunt, et postmodum in clero promoti sunt: Quicumque de lapsis ad ordinem cleri promoti sunt per ignorantiam vel per ordinantium dissimulationem, hoc ecclesiasticae non praeiudicat regulae. Cogniti namque deponantur. His itaque digestis ad memoriam redit, quod papa Innocentius Rusticium, qui iterata ordinatione presbiter effectus est, noluerit in ecclesia retinere. Scripsit enim Martino episcopo Nathissitano[a] dicens: In Ravennati urbe ~~hic~~ mihi[b] constituto propter Romani populi necessitates creberrimas, Germaniusque se asserit esse presbiterum, atque Lupentius qui se diaconem dicit, multorum talium quasi legatione suscepta[c] prece fusa dolores proprios exprimere gestiverunt[d], asserentes se quidem ecclesias in dilectionis tuae[e] constitutas parrochiis retinere, sed tuam communionem non potuisse mereri, ea videlicet ratione, qua Rusticius quidam nomine iterata ordinatione presbiterium suscepisset.[a] Et non leve impedimentum[b] fit, dum aut illi[b] dolens huiusmodi hominem in ecclesia retineri, aut illi[c] sic peccare debere in alios arbitremur[d], quemadmodum in se non cognoscit[e] esse peccatum. Similiter autem illi[f] recolendum, quod supra beatus papa Gregorius ad Iohannem episcopum Ravennatis ecclesiae scribens[g] dicit: Illud quod dicitis, ut is qui ordinatus est, iterum ordinetur, valde ridiculum est et ab ingenii vestri consideratione extraneum; nisi forte quod exem-

[a] lata 1.
[b] deest 1.
[c] sed et 3

[x] XI ~~habet~~ 3, ~~.....~~ hic novum caput incipiens.

[a] Naißitano 3.
[b] hic 1.

[c] subscripta 3
[d] gestaverunt 1
[e] in d. suae 1.

[a] suscepisse 1
[b] levi impedimento f. d. ait i
[c] ille 3.
[d] arbitretur 3.
[e] agnoscit 3.
[f] et illud 3.
[g] epm et scribens dicit 1.